

Iken

Animadversio-
num
juris civilis
Specimen.

1778



AN

2 510



Z. 56
ARNOLDI IKEN
ANIMADVERSIONVM
IVRIS CIVILIS
SPECIMEN.

Z. 519



Hc

1738



MARBVRGI
MDCCCLXXVIII

JV

LIB.

A

ИЗДАНИЕ
ПОСРЕДСТВОМ
СОВЕТА ГЛАВЫ
СРЕДНЕГО

ГЛАВНОГО СОВЕТА
СЛУЖБЫ

VIRO ILLVSTRI
JVSTINO FRIDERICO
GVILIELMO IKEN

J. V. DOCTORI

LIB. S. R. J. REIPUBLICAE BREMENSIS

SENATORI

PARENTI OPT

S. P. D

ARNOLDVS IKEN

FIL. NATV MAIOR

ІАТАУЛІ ВІД ІРІЕРІО
ОУТЕІМІНІ

1907000 N.J.

1. REINTEGRATION OF THE
SOCIETY

ІІОТАИС

ЧЕОЛОНДЯС

Digitized by Google

ИЗУЧЕНИЯ

ROBERT VERNON LIBRARY

EOPTI
nor,
excit
quot
filiun
dico:
atur,
gaude
vt hi
ces q
res fin
gener



Est hic ipse dies **TIBI** natalis, **PARENS**
OPTIME! supra quinquagesimum, vt opinor,
alter. Qua ergo me censes laetitia
excitatum esse, recordantem beneficia
quot et quanta cum in ceteros, tum in me
filium **TvvM** ex hac die redundant. Hoc
dico: tametsi natura rerum ita ferre vide-
atur, vt parentes liberum bonis impense
gaudeant, eaque re nihil non moueant,
vt hi non tantum salui ipsis sint, sed feli-
ces quoque in tantum, quantum modo
res sinit; haud scio tamen, an vllus eo in
genere **TIBI** sit comparandus. **Tv** enim,

* 3

parum

parum esse cum statueres, vitam mihi datam per Te esse illam naturalem atque communem, nisi et hanc humaniorem adderes melioremque, non modo meam olim pueritiam ad regnum de rebus diuinis sensum omnemque humanitatem informandam curasti, sed misisti etiam me meumque fratre, in hanc bonarum artium officinam commendatos viris politissimi ingenii doctoribusque fidelissimis, et nullo non liberalitatis Tuae copiarumque genere beatos; taceo incredibilem quandam perpetuamque de nobis nostrisque rebus omnibus sollicitudinem. Atque haud ignoro, parentes plerosque omnes, qui quidem in re lauta sint, idem fere facere videri, sed habes tamen in hoc ipso genere quaedam Tibi propria, quae ut intelligere possum facile, ita haud quaquam mihi facilia ad explicandum sunt. Evidem vel hoc nomine me non plane contemnendum iudico ineptumque hominem esse, quod ista sentio, quanta sint, at nisi pro viribus eniti vellem, ut indulgentiae tam singulari huic

re-

responderem, ipse me hominem non putarem. Ego vero confirmare tam laeta hora nullus dubito, operam me daturum, ut patria mea, at quam honesta quamque praeclara, bone Deus! dignus ciuis TIBI que sim laetandi materia, quamquam probe intelligo, ita promittere quantum sit diuino auxilio? est enim eius, qui sine virtute ac quadam ex parte sine litteris vitam nullam putet, neque ipse mihi diutius placebo, quam haec mihi ratio placuerit. Sic hanc diem quam saepissime mihi, quam hilarissime, agere liceat, sospiti ac incolumi optimo Parentum offerentem subinde industriae, & si Deus annuerit, etiam eruditionis, quale nunc exhibeo, specimina!

Scrib. Marburgi Cattorum XVIII.
Cal. Maii a. C. N. ccccclxxviii.

IN-

da-
om-
eres
eri-
um
cu-
fra-
am
do-
be-
os;
que
ci-
tes
uta
pes
IBI
ci-
ex-
ni-
co
en-
iti
nic
re-

INDEX CAPITVM

- I. *Publicianae in rem actionis utilitas.*
- II. *Rescissoria eiusdem Publicii desueta res.*
- III. *De usufructu in dotem dato ad l. 66. 68. de iur dot. et l. 57. Dig. solut matr.*
- IV. *Repetitio dotis ex iure nouo.*
- V. *De Restitutione fructuum in iudicio singulare.*
- VI. *De dolo caussam dante contractui et incidenti.*

VI



I

PUBLICIANAE IN REM ACTIONIS VTILITAS

Inter ficticias actiones, quarum mentionem fecit Ulpianus *tit. 28 §. 12 regular.*, est quoque Publiciana in rem actio, in praesentia a nobis illustranda, hodieque utilis, licet ejus nomen in foris non frequentefur. Ut igitur hujus juris progressiones ostendamus: pertinet jus vindicandi rem, cuius possessio amissa sit, ad proprietatem, quam lege agens aequa ac possessionem adversarii probare debet. Facile autem rem probat suam esse, quicunque amiserit usucaptam. Nec tituli difficilis erit probatio. Sed illud longe difficillimum est, praeter ius suum etiam illud auctoris, a quo quis cauissum habeat, proferre. Quare, si in eiusmodi probatione, ut

A

ferre

fere fit, petitor deficiat, quia iniquum esset, ei, qui rem bona fide iustoque titulo traditam accepisset, necdum usucaptam amisisset, praeferri alium infirmiori quocunque jure possidentem, vtilem ipsi vindicationem concessit Praetor. Cuius cum edicti summa sit aequitas, meruit illud praeter juris tralatitii auctoritatem, quam nactum est, etiam inuentoris sui nomine insigniri. Sit caussa haec: horologium ego aureum non a domino, at bona fide tamen, tituloque emtionis, pretio haud exiguo comparaui. Paucis diebus post mediis aquilonibus iter faciens, cum niueus candor rura tegeret, rigida manu horologium inspiciendi gnomonis caussa e funda eduxi, ceciditque inopinato. Reconditum ego credens viam persequor. Mox itineris socius rogat, quae hora audita sit. Itaque, cum iterum inspicere vellem, perditum animadverto. Forte viator vestigia nostra secutus e niue extraxerat, quem reperisse deinde mihi nunciatur. At ille negat se redditurum, quod teneat. Quonam igitur remedio adversus ipsum utar? Etenim vindicaturus et meum et auctoris dominium probare teneor. Atqui venditor ille quidem peregre abiit, nescio quis mortaliss-

num

num ea res absterrebit me, quo minus judicio
 experiar, pretiumque perdam? Jure veteri cer-
 te nullam spem habeo rei recuperandae. Sed
 succurrit mihi Praetor, quia jus meum, quam
 viatoris, potius est, possessionem quippe rei
 casui debentis. Patet vero inde, remedium hoc
 non dari aduersus ipsum rei dominum: plus
 enim in veritate est, quam in opinione. Cum
 ergo detur ei, qui opinione dominii rem tradi-
 tam acceperit, haec bona illius fides non nisi
 tempore contractus requiritur; idemque iis
 quoque in locis, vbi ius viget Canonicum, ob-
 tinere dicendum est. Ad utilitatem Publicianaे
 quod adtinet: primum ea ipsi rei domino pro-
 bationis leuandae caussa conceditur. Sed fieri
 cum possit, ut eadem res pluribus vendatur,
 num hi omnes pari iure gaudeant, quaestio
 est? Ac petitoris quidem jus validius, quam
 possessoris, esse debet. Itaque cum pari uterque
 jure nitatur, melior habenda erit conditio eius,
 cui res fit tradita. Interim l. 9. *Dig. de Public.*
in rem act., qui locus hanc in rem allegari solet,
 loquitur de caussis inter se diuersis, vt necesse
 non habuerit Cuiacius dissensum statuere juris-
 consultorum. Aut enim lis oritur inter duos,

A 2

vter

vter eorum hanc actionem instituere aduersus tertium possit? Nec refert, rem a diuersis non dominis emtam fuisse, cum ex l. 4. §. 4. de *Publ. in rem act.* pateat, actionem eum, cui res priori tradita sit, habiturum. Aut duo certant inter se, vter Publicianam habeat aduersus alterum? Ac melior erit conditio possidentis, siquidem res a diversis non dominis emta sit. V. c. Maeuius rem alienam in hereditate paterna reperit, eamque vendidit Titio. Hic pignori dat Caio. Rursus Caii heres, harum rerum inscius, eandem ex venditione tradidit Jauoleno. Jam quaestio oritur, num Titius aduersus Jauolenum Publiciana experiri queat? Minime cum utriusque par caussa esse videatur.

Sed vt pergam Publiciana ostendere utilitatem, monitum a me supra est, ius veri domini excludi fictitia hac actione non posse. Quod tamen in vniuersum nolim pronuntiare. Sunt enim caussae, in quibus haec iusti dominii exceptio per replicationem eliditur. Neque operam fore inutilem arbitror, si eas singulas commemorauero. Prima igitur est, cum vel dominus alienanti, vel alienans domino, heres extiterit.

existiterit. l. 4. §. 30 *Dig. de donat. mort.* Nam ut heres ratum habere debet id, quod defunctus deferit, ita factum suum non sine dolo diffitebitur. l. 4. §. 32 eod. l. 72. *Dig. de R. V.* Altera est, si domini ius per restitutionem integri sublatum sit. l. 35. *Dig. ex quibus causs. mai.* Facenim Titium rem meam, dum abessem, interea vnicepisse, me reuersum usum esse rescissoria, eodem Publicio auctore; deinde rem hoc modo recuperatam vendidisse Caio. Is illa amissa repertaque a Titio hunc eundem conuenit fictitia nostra. Atque tenebit, nec petitionem exceptio dominii per restitutionem extincti remorabitur. Idemque dicemus, quae est caussa tertia, si quis periusurandum perue judicatum contra dominum obtinuerit l. 7. *de Public. in rem act.* l. 24. *Dig. de except. rei judicat.* Quarta deinde proponitur in l. 24. *Dig. de Public. in rem act.*, vbi, cum procurator rem ex voluntate domini vendidisset ac tradidisset, postea hoc ipso tradi vetante, emtor aduersus eum se non modo in possessione tueri, sed etiam ab eodem petere rem dicitur amissam posse.

A 3

Sed,

rsus
non
Pub-
res
cer-
uer-
len-
mata
tate
Hic
re-
Ja-
ad-
eat?
tur.

tili-
do-
osse.
are.
inii
e o-
ulas
vel
eres
erit.

Sed, quam vtile sit remedium nostrum, ex eo cernitur maxime, quod, remota vsucaptionis fictione, illud primum ad res incorpores, deinde ad praedia vectigalia aliasque prolatum fuit res, quarum in traditione ac patientia bonam fidem seruari fas est. l. 11. §. 1. l. 12. §. 2. *Dig. de Public. in rem act.* Neque est, quod quis velit refragari, de patientia iuris constituti propositam esse confessoriam, quam dicunt, actionem: nec enim haec alia est, quam Publiciana vtilis, vt ipse Vlpianus cit. l. 11 testatur.

Atque ex his paucis intelligi posse arbitror, quanta sit Praetorum interpretationis praestantia, vtpote quae a Papiniano iuris ciuilis viua vox meruerit appellari. Praetores, inquam, omne ius aequitate moderati sunt et explicuerunt. Nullum autem nobilius iurisconsulti officium est, quam quod in aequitate ponitur retinenda.

II

RESCISSORIA EIVSDEM PUBLICII
DESVETA RES

Constat inter omnes, caussis singulis, in quibus Praetoribus aequum videretur restitucionem concedere integri, etiam absentiam accenseri. Singulis dixi propterea, quod et generales duas, ut restitucionem rei laefique iuris correctionem ex definitione Paulli *sent. recept.* I, 7, I, intelligimus. Interpretes autem nostri caussis absentiae necessariae, tanquam proprie ad edictum pertinentis, intenti, non minus follicite ab ea distinguunt voluntariam indifferenteremque adeo, notantque rescissoriam inuentoris sui nomine insignitam actionem. Qua in opera cum mirifice sibi placeant, si tanti illa est, miror, cur non id quoque obseruauerint, quod edicto additum fuit ab Imperatoribus, neque ipsis in mentem venerit *edictum Callistrati monitorium h. e.* ius antiquatum apud Romanos.

A 4

Quot

Quot enim in edicto nostro de maioribus XXV annis occurrunt obsoleta? Num partes illius tam accurate distingui necesse erat, cum extra ordinem pluribus personis, legatis v. g. municipum absentibusque militiae causa, et Senatus consulta, et Principum constitutiones subvenissent? Sed age in rem præsentem veniamus. Romanos igitur deprehendimus absentibus non defensis, h. e. iis, qui procuratorem ante profectionem non reliquissent, ac per illos etiam praesentibus, qubus facultas non esset ius suum aduersus absentes persequendi, consulere utique voluisse, necui absentia sua aut obesset, aut prodesset. Fac igitur Titium non suarum, sed publicae rei causa, peregre profectum esse, idque tam subito, vt curam earum committere nemini posset; forte etiam putauerat, citius se redditum, haud praeuidens ea, quae ipsius redditum remorantur. Per ejus igitur absentiam res quaepiam ejus ad Caium peruenit, isque illam suam existimans per annum plus minus possidet: nonne hic dicendus est vsucepisse? Aut actionem Titius quanti minoris habuit, nec potuit cauere, ne ius suum extingueretur: eritne reuerso illi succurrendum?

dum? Ac in vtraque caussâ mouit Praetorem
æquitas, ut neque rem usucaptam esse fingeret,
neque ius præscriptione exstinctum. Idemque
remedium praefto erat præsenti, h. e. in do-
micio degenti, posteaquam rem eius aliquis
secum abstulerat, vel abierat procuratore non
relichto, cum actione temporali teneretur. Ref-
cidebat, inquam, Praetor usucaptionem præ-
scriptionemque. Enimvero accuratius haec
rimanti aliquod occurrit remedium usucapio-
nis vel præscriptionis impediendae facilius per
solam libelli oblationem e l. 2. C. de annal. ex-
cept, ut rescissione nulla sit opus; licet id ip-
sum rescissorio pinguius haud esse nonnullis vi-
deatur. Sed neque sic res erit expedita. Num
absens rem suam deperditam statim animadver-
tet? Quid, si nesciat eam a Caio v. g. detineri?
Quidquid sit: rariorem, ex quo illud introdu-
ctum sit remedium, rescissoriam esse suspicor
coepisse.

Certe maiorem utilitatem habet clausula ge-
neralis, *sivqua alia mihi iusta caussa videbitur*
in integrum restituam. Quam Praetor ipse de
caussa interpretatus est ea, si procurator, quem

A 5

quis

XXV
illius
extra
nuni-
Sena-
sub-
enia-
fenti-
prem
er il-
n es-
con-
aut
non
pro-
ea-
pu-
lens
ejus
ium
an-
dus
mi-
um
en-
m?

quis reliquisset, soluendo non esset. Sed male clausulam illam Schultingius, ad πρωτα, coarctat, perinde ac si caussas absentiae duntaxat complecteretur. Nam quomodo huic sententiae conciliabitur *l. 1. §. 9. Dig de itin. actuque*, quippe de absentia ibi nihil? Quare non est, cur pragmaticis, eandem ad quæcunque grauamina sententiarum referentibus, clausulamque æquitatis appellantibus, dicam scribamus. Ad propositum ut reuertar, annon remedium aliquod accommodatius ad tertii cuiusque absentiam lateat *in l. 2.*, quam supra excitauiimus, vindendum erit. Etenim iure nouissimo non currit longi temporis praescriptio casu aliquo impeditis. Intelligo autem impedimenta facti, quaeque auerti non potuerint. Quid? quod error atque ignorantia probabilem habent excusationem. Ceterum poena illa contumaciae, de qua tam diligenter praecipit *titulus Dig. ex quibus causs. mai*, hodiernis quidem moribus minus erit consentanea.



ad l.

L
mag
tame
sting
man
to,
aliis
matr
citur
susti
non
stitu
inep
Non
si di

III.

III.

DE VSVFRVCTV
IN D O T E M D A T O

ad l. 66. 68. de iur. dot. et l. 57. Dig. solut. matr.

Iure Romano an maritus sit dominus dotis, magnopere disputatur. Est ille utique: nec tamen simpliciter, sed dotis caussa. Non extinguitur constante matrimonio ius vxoris, sed manet quiescendo, exercente enim illud marito, vindicante quippe res, nomina exigente, aliisque actionibus de dote experiente. Quare matrimonio soluto non reuiuiscere ius illud dicitur, sed conualescere. Iam vero, cum ad sustinenda matrimonii onera dos marito detur: nonne vſusfructus quoque, si quis mulieri constitutus fit, eodem comparabitur? Certo. Sed inepte tum de dominio dotis aliquo quaeritur. Non autem me operam perditurum arbitror, si diuersas vſusfructus in dotem dati cauſas

com-

commemorauero, licet eam nonnulli fortasse,
 tanquam subtilitatis plenam, sint aspernaturi.
 Quos parum equidem curo. Dotis igitur cauſſa
 marito vſusfructus aut in ſuo fundo ceditur, vt
 conſtantē matrimonio ſolidam ille habeat pro-
 prietatem, aut in alieno conſtituitur. Vtrumque
 contingere hodie poſſe, nemo facile in du-
 bium vocauerit. Rurſus vero non parum inter-
 eſt, vtrum ipſa mulier, an eius pater, an alien-
 us vſumfructum denique cefſerit, conſtituerit,
 cuiusve in dominio fuerit fundus? Si mulier
 cefſit: ea mortua in matrimonio, nulla dotis
 repetitio locum habebit, quoniam ius ipſius
 exſtinctum eſt, niſi forte ſuperſtes fit pater,
 cui vſusfructus ille cedat. Posterius tamen a
 moribus non minus abhorret, quam lex illa 6.
 C. de bon. quae liber., qua de inter ſe digladiati
 ſunt Glosſatorum principes, Bulgarus ac Ma-
 tinus. Quodſi interpoſitum ſit diuortium: ma-
 ritus omnino tenebitur ad vſumfructum mulie-
 ri conſtituendum. Quin matrimonio nullo de-
 clarato, danda eſt mulieri condictio ſine cauſa,
 vt ius recipiat ſuum. Quid autem? ſi vſum-
 fructum ſocer habeat fundi genero proprii?
 Repetet e ſua perſona vſumfructum, conſoli-
 datione

datione haud obstante, siue matrimonium sit morte, siue diuortio dissolutum. Neque maritus illum retinere valet ideo, quod facta ei cesso jure duntaxat temporario, dotis scilicet, ntitur. Num simile quid in caussa extraneista-
tuendum sit, videamus. Ac verum est, con-
solidationem manere, nisi stipulatione sibi hic
prospexerit. Iure stricto, inquam, licet sti-
pulatione constet etiam bonae fidei negotia con-
firmari. Atque haec hactenus de cessione. Quid
iuris est, si marito non domino vsumfructus do-
tis caussa constituatur? Hic proprie marito vi-
detur adquiri, vtpote qui illum et non utendo
amittit. Fac enim vxorem vsumfructum prae-
dioli alicujus intulisse Titio, homini pecunio-
so. Is, cum exiguos eiusmodi redditus dereli-
ctui haberet, ipsa pecuniam inde rededit sibi-
que in futuros vitae usus reseruavit. Non ita
multum post ei, vt fit, nuncius remittitur.
Praeterquam quod lucrificit, nihil iam per-
ceptura est mulier, sed indotata, quantum ad
vsumfructum, efficietur. At maritus forte, tam
quippe prodigus sui, vsumfructum famulo suo
donauit: ad proprietatem ille quidem redibit,
maritus tamen tenetur ad dotem hanc, quam
ni-

rtasse,
naturi-
caussa
ur, vt
pro-
trum-
in du-
inter-
n alien-
uerit,
ulier
dotis
ipfsius
pater,
nen a
lla 6.
adiati
Mar-
: ma-
ulie-
o de-
aussa,
sum-
prii?
nsoli-
tione

nihil fecit, restituendam. Sin maritus est homo frugi, qui et redditus ejusmodi tantulos in rem suam vertat, hic vero percipiet ad supremum vitae diem usque, decedente etiam muliere; nec nisi facto diuortio tenebitur ad redendum. Tum, si fundus mulieri proprius sit, usumfructum ei cedere potest; alias quoqu modo a se dimittere debet; qua de re paullo infra. Occurrunt et alia considerata haud minus digna. Ut hoc: mulier constante matrimonio fundum marito vendidit; ac refert, quanti: etenim, si sola proprietas aestimata est, in iudicio dotis maritus pretium usumfructus praestabit; heres autem eius, siquidem ante litis contestationem deceperit, consolidatione tutus erit. Contra, si plena fundi proprietas veniit, perinde erit, ac si mulier constante matrimonio dotem receperisset. Porro, si alienus in suo fundo usumfructum marito constituit, ut amicus patris vxoris, humanitate ductus: tum vero haud parua oritur difficultas, quomodo mulier ius suum recipiat, quoniam usumfructus alii, quam proprietario, cedi non potest. Itaque nisi maritus a proprietario impetraverit, ut usumfructum mulieri constituat, cauere saltem

tem debet, mulierem vsufructu non esse prohibiturum. Sed quidam remedii loco inducendum putarunt, vt maritus mulieri aut vsufructum locet, aut nummo vendat ita, vt ius ipsum maneat apud maritum, fructuum perceptio autem ad mulierem pertineat. Vnde apparet hoc etiam, venditionem imaginariam in ipso quoque iure utilitatem praestare.



IV.

est ho-
los in
supre-
n mu-
I red-
us sit,
uoquo
paullo
d mi-
rimo-
quan-
, in
præ-
litis
tutus
eniit,
imo-
a suo
ami-
nve-
mu-
ctus
Ita-
erit,
fal-
tem

IV

REPETITIO DOTIS EX IURE
NOVO.

Dos Varroni dicitur pecunia, quae nuptiarum caussa detur; quae posteriora verba auctores iuris interpretantur, ad sustinenda matrimonii onera. Eius originem non ab antiquissimis, sed a postremis reipublicae temporibus, nos quidem repetimus; nec sine idoneis caussis. Primus enim de iure dotium dicitur librum conscripsisse Seruius Sulpicius, Ciceronis aequalis. Sed multos in errorem induxit mundus, quem dicunt, vel instructus muliebris, vfitatissimus apud veteres, cum dote ille quidem haud confundendus. Cauerant quidem Romani lege Voconia, vt mulieres, dote contentae, ad hereditatem ne aspirarent. At quis nescit, luxu et opulentia ciuium crescente, illam legem variis artibus elusam, inque destitudinem

tudinem abiisse? Ac licet postea mulieres ad hereditatem rursus admitterentur, ius tamen illud dotium magis magisque constat firmatum fuisse. Introducto igitur iure dotium: distingui haec pecunia coepit in profectitiam, aduentitiam & receptitiam, ut alias diuisiones nunc taceam. Illa dicitur a patre profecta, altera erat, quae aliunde mulieri obueniret, haec denique, quam extraneus, interposita stipulatione, ita dat, i.e. ea cautione adhibita, ut soluto matrimonio sibi reddatur. Profectitiam autem et aduentitiam, certi iuris est, soluto matrimonio reddi debere. Datur etiam repetitio constante matrimonio, quam interpretes irregularēm vocant: velut cum res mariti ad inopiam vergat, eaque mulier indigeat, ad se suosque alendos, vel etiam ad alimenta patri relegato praestanda, et quae id genus sunt alia, de quibus l. 73. §. 1. de iur. dot. l. 20. 21. soluto matrim. l. 24. pr. Dig. eod. l. 29. C. de iure dot agitur. Soluitur matrimonium aut morte, aut diuortio. Cum igitur dos tum sit restituenda: eius a contumaci repetendae de remedio dispiciendum est. De receptitia clara res est; petitur enim, ut supra dicere me memini, ex stipulatu. Quanam vero

B

actione

actione vel pater vel mulier petet siue prosec-
 titiam , siue aduentitiam ? Olim quidem duplex
 actio eam in rem prodita erat , altera ex stipu-
 latu , quae stricti iuris , rei vxoriae altera , quae
 esset bonae fidei . Sed Iustinianus miro quodam
 artificio vtramque in vnam conflauit ; atque
 hac de re nonnulla dicere stat sententia . Ne-
 que vero hanc rem , opinor , quisquam pene-
 trabit , nisi qui et vtriusque actionis naturam
 contemplatus sit , et , quid vtraque habeat com-
 mune , inueniterit , quidque Iustinianus addide-
 rit . Ac iuris quidem ratio stricti , quae in sti-
 pulatione versatur , facit , vt dos in hanc dedu-
 cta simpliciter sit restituenda . Quid igitur est
 illud , quod Iustinianus dicitur e iure stricto
 retinuisse ? plura profecto ex illo , quam ex bo-
 nae fidei iudicio retinuit ; vnde etiam actioni a
 se propositae nomen indidit , *ex stipulatu de do-*
te . Primum enim voluit , vt , mortua post di-
 uortium muliere , dos ne lucro cederet mariti :
 deinde retentionem illius ex quinque causis ,
 tanquam ob mores , ob res donatas vel amotas ,
 ob liberos , ob impensas , sustulit ; tandem ca-
 uit , vt , mortua in matrimonio mulierē , cum
 pater superstes non esset , dos heredibus
 potius

potius traderetur, quam marito relinqueretur.

Quid autem ex bona fide est? scimus, cum nulla stipulatio de dote restituenda esset interposita, de aduentitia quidem patrem adiuncta filiae persona agere potuisse; profectitiam autem, titulo praecipui, virilis sexus liberis fuisse relictam. Sed et hoc bonae fidei est, maritus ne, iudicio dotis conuentus, ultra id, quod facere possit, condemnetur. Marito igitur hoc beneficium datum est, ne solidum ab eo exigatur, sed relinquitur ei tantum, quantum ad ipsius sustentationem tempore rei iudicatae videatur satis esse. Nec pactum contrarium valet, quippe bonis moribus aduersum. Quid autem? si maritus nomina habeat, quibus inter eius facultatum summam relatis, computatis, dotem soluere possit? Neque tum, opinor, in maiorem summam tenebitur: respiciendum enim est cuiusque nominis periculum; quin, ne actiones quidem, si mulier periculum suscipere velit, mandare necesse habebit: cum iure civili nomina nondum exacta nemo facere posse videatur. At, si dolo fecerit, ne solidum mu-

B 2

lieri

lieri praestaret, v. g. rem dotalem perdendo?
 Tum sane illum tali beneficio indignum crediderim. Quod vero ad culpam adtinet: praestanda intelligitur, non ea, quam in administratione rerum suarum, sed illa plane, quam in una quapiam re admiserit.

Pergentibus nobis ad ea, utriusque actionis quae sunt communia, primo de fructibus tendendum est, ut pro portione temporis, quanto steterit matrimonium, reddantur. Item quaestio occurrit de impensis, qua in re diuersas inter se caussas distingui puto oportere. Oratio autem est de fundo inaestimato, vel adestimato, sed taxationis causa. Fundum igitur ante, quam in dotem ille daretur, coluit vel ipsa mulier, vel maritus, vel is cui locatus esset. Quod si ante messem vel vindemiam in dotem datus fuerit, mox exacta vindemia vel messe diuorcat mulier: aequum erit, eam non modo duorum mensium fructus, sed impensas quoque, si quis fecerit, consequi; quin matrimonio per plures annos manente, eius quoque anni, quo fundum coluerit ante, quam in dotem daret, rationem haberi. Sin ipse maritus coluerit:

sum-

sumtus ille quidem fructuum percipiendorum
 caussa factos non recipiet, at in communionem
 tamen fructuum admittetur. Tertia denique
 caussa difficultorem, quam vulgo putant, tra-
 statum habet. Fieri enim potest, ut et fructu-
 um et mercedis habenda sit ratio. Exemplum
 adferam: tempore vendemiarum marito fun-
 dus aliquis in dotem datus Calendis Neuembri-
 bus ab eo locatus est. Soluto sub initio sequen-
 tis anni matrimonio, aequitas haud fineret,
 partem tum fructuum, tum mercedis quoque sibi
 vindicare velle. Itaque magnus existimat Papini-
 anus, fructus vendemiae quadranteque merce-
 dis confundi debere, cuius summae tertiam par-
 tem maritus reddat; secus est, si vxor percepta vin-
 demia marito statim praedium in dotem dederit,
 isque mensie Martio locauerit. Nam si Aprili
 matrimonium dissoluatur, non modo partem
 dimidiam, sed etiam cuiusque mensis partem,
 quamdiu praedium dotale fuerit, mulier con-
 sequetur. Atque hoc est, quod dicere solemus,
 fructus pro rata temporis, quo matrimonium
 steterit, diuidi oportere. Accedit et alia caussa
 digna, quae etiam atque etiam considereretur.
 Quid enim? si conductor totius anni messem ex

formula contractus consecuturus est: diuortio ante messiem contingente, nonne aequum, et pecuniam ex messe perceptam, et futurae spem messis, venire in computationem? Idemque iuris est, quando in loco irriguo fructus sex mensibus percipiuntur. Sunt enim agri in Campania, quos bis falcem pati constet. Ad Germaniam quidem hoc non quadrat, ubi et triennium requiritur ad tempus tacitae reconductionis. Quid, si messium ratio ad plures annos proferatur? ut siluae caeduae, vel piscinae, quam tertio quoque anno episcari solent.

Sequitur commune alterum, nempe ut praedium, modo non sit venditionis causa aestimatum, statim, dos mobilis autem tribus pensionibus, hoc est, annua, bima, trima die, reddatur. Sed cum ex his, quae diximus, pateat, quomodo bonam fidem stricto iuri coniunxerit Justinianus, iam quid de suo ille addiderit in facili erit ostendere. Jussit enim, ut breuiter dicam, rem mobilem reddi intra annum; deinde, interdicta omni praedii dotalis alienatione, uxori tacitam hypothecam in bonis mariti, priuilegiumque prae aliis creditoribus etiam anteriorem hypothecam habentibus concessit.

Na-

Natura actionis inuestigata, reliqua notatu
digna age persequamur. Actionem igitur in-
tendit aut pater adiuncta filiae persona, aut ipsa,
siquidem suae sit potestatis: de extraneo nihil
addimus, quippe qui semper ex stipulatu agit
ad dotem sibi restituendam. Quid autem? si
vxore mortua liberi sint superstites, num pa-
ter repetendae dotis ius habet? Quae quidem
quaestio vehementer olim inter Bulgarum et
Martinum agitata nostris moribus inutilis est.
Cum enim apud Romanos dos profectitia tam-
quam peculium ad patrem in solatium amissae
filiiae reuerteretur: hodie, filiabus e patria pote-
state per nuptias exeuntibus, lex illa quidem
6. C. de iur. dot. antiquata dosque omnino ad
liberos superstites videtur pertinere.

Datur haec actio contra maritum eiusque
heredes; quin et aduersus fiscum, parte bono-
rum mariti publicata. Quodsi maritus adhuc
in potestate esset, olim quidem sacer tenebatur,
non tamen hodie, quoniam filii separatam oe-
conomiam instituendo e patria potestate et ipse
exeunt. Atque agit mulier ad dotem sibi resti-

B 4

tuendam

lio an-
et pe-
spem
mque
is sex
Cam-
l Ger-
t tri-
ondu-
s an-
cinae,
be vt
aestri-
pen-
red-
ateat,
exerit
rit in
euiter
; de-
natio-
ariti,
etiam
cessit.
Na-

tuendam cum accessione omni fructibusque ante & post matrimonium perceptis. Maritus praeterea, si matrimonio soluto bona administrauerit, et dolum et culpam praestabit. Quod si conuenerit, vt res aestimatae, habita augmenti deminutionis ratione, ab eo in natura, vt aiunt, restituantur, perinde erit, ac si nulla aestimatio intercessisset. Nonnunquam etiam maritus debitor erit quantitatis, vt, cum dos vel venditionis causa aestimata sit, vel in rebus fungilibus consistat. Ceterum marito egeno beneficium, quod vocant, competentiae datur: cui, vt supra diximus, ne renunciare quidem ille potest. Illud et liberis eiusdem matrimonii tribuitur, vnde Hertio subnata causa est de priuilegii ad heredes transitione disputandi.



V.

V

DE RESTITUTIONE FRUCTUUM
IN IUDICIO SINGULARI

Principio rerum vsum illarum inter homines communem fuisse satis constat. Hominum autem numero in dies magis magisque crescente, vitio pruarum appetitionum dissensione inter eos orta factum est, vt alii alio discederent, terraque vacuas occuparent, ac duces sibi deligerent, quorum imperio regerentur. Tum vero primum, si veteres sequimur, bona quaedam propria coepta sunt haberi, quorum in possessione alter ab altero turbandus non esset; neque hodie studium res eiusmodi vacuas occupandi cessare intelligimus. Sed luxu moribusque prauis, vt dixi, inolescentibus, occasionem quisque arripiiebat augendi opes suas, variaque inde illicita inuenta, quibus alter alterum possessione priuaret ac bona eius sua redderet. Cum au-

B 5

tem

tem natura prohibitum sit, quemquam in possessione turbare sua: rem suam dicens, ut vincat alterum opinione duntaxat dominum, melius ius doceat necesse est. Quod ut fiat, primum actor notas rei proprias indicet, quibus ea ab aliis distingui possit l. 6. *Dig. de R. V.* l. 19. pr. et l. 1. 2. 3. 4. *Dig. de furtis.* Neque tamen actori nocet, non accurate omnia v. g. colorem pondus vel quantitatem designasse, l. 19. §. 4. *de furtis iunct.* l. 5. §. pen. et l. 6. *Dig. de R. V.* dummodo postea se dominum esse rite ostenderit, i. e. praeter possessionem aduersarii non modo ius suum, sed et auctoris, protulerit, secundum principium illud, neminem plus iuris, quam habeat ipse, transferre posse in alterum. Atque haec probatio vel testibus, vel instrumentis, vel alia quacunque legitima ratione, institui potest. Quid? cum traditionem quoque probare debeat, sufficit titulum ad transferendum dominium habilem ostendisse. Jam domino rite probato, possessor ad rem tenetur restituendam; nisi restituat, propter dolum et contumaciam eius actor ad iusfirandum in item admittitur; quo res etiam ultra verum pretium aestimari potest. Immo si rem adhuc

ha-

habeat, l. 68. *Dig. de R. V.*, iubet eam manu
 militari, i. e. per ministros iudicis & apparitores,
 non autem milites, per quos in causa ciuili ex-
 fectio fieri non poterat, l. 1. *C. de offic. iud.*,
 auferri. Ceterum ultimus versiculus cit l. 68. ni-
 mium iudici indulget, ac merito nonnullis ma-
 nus emblematica est suspectus, neque hodie
 obseruatur, sed res aufertur possessori, et, si
 dolose eam absconderit, iuratur contra eum in
 litem. cuius iurisiurandi ratio est, ne possesso-
 ri liceat rem iusto pretio aestimare, cum dolus
 poenam mereatur. Quid, si possessor rem ca-
 su amiserit? Ac distinguendum arbitror, vtrum
 illa ante, an post litem contestatam perierit.
 Si prius: possessor liberatur: sin posterius, ac-
 cepti iudicii cautione tenetur ad aestimationem
 l. 82. *Dig. de R. V.* Quod vero ad praedones fu-
 resque adtinet: sine distinctione respondendum
 erit, eos teneri propterea, quod in perpetua
 sint mora rei restituendae. Excipitur tamen
 causa, si iidem rem domino obtulerint, de qua
 vid. l. 7. s. vlt l. 8. *Dig. de conduct. furtiva*. Ne-
 que possessor, nisi plane praedo sit, interitum
 rei praestabit tum, cum aequa illa apud domi-
 num fuisse peritura. Exempla habes in l. 15
 s.

pos-
 vin-
 me-
 um
 ab
 19.
 nen
 rem
 4.
 V.
 de-
 non
 rit,
 iu-
 te-
 in-
 io-
 no-
 fe-
 lo-
 re-
 et
 li-
 m
 uc
 a-

§. vlt et l. 16. de R. V. arg. l. 12. §. 4. ad exhibend l. 14. §. 11. quod metus caussa l. 47. §. vlt Dig. de legatis I. Quodsi non dolo, sed culpa possidere desinat, ex quo rem esse alienam sciuerit, ad eius aestimationem et ipse tenetur l. 36. Dig. de R. V.

Jam et si actor dominium, non tamen possessionem continuam, debet ostendere. Saepe enim euenit, ut possessores inuidia ducti eant inficias, ac proferant, rem neque ad se, neque ad actorem pertinere; tum si mendacii convincantur: actor, iure licet suo nondum probato, ad possessionem rei eius admittitur, vice-
que veri domini obtinet, ita ut reus postea rem frustra petat. l. vlt Dig. de R. V. Hodie in possessionem actor mittitur ille quidem, at beneficium habet reus, rem intra annum ex iusta dominii caussa repetendi. Anno autem exacto, nullum ius in rem supereft, sed dominium actori constituitur ac confirmatur. Praeterea cessat poena possessionem negantis l. vlt. Dig. de R. V. l. 10. Dig. de fideiussor.

Sed prius, quam vltterius progrediar, non praeter rem fore existimo, si verbum restitue-

re

re declareremus, cum sensu iuris maior illi verbo vis insit, quam vulgo opinantur. Notat enim possessorem aliquem facere et fructus reddere. De possessore ex his, quae ante dicta sunt, satiis constare arbitror.

Quod autem ad fructus adtinet, alia cauſa est bonae fidei, alia malæ fidei possessoris. Hic enim omnes omnino restituit fructus, exstantes, perceptos, et quos boni viri arbitratu percipere potuiffet. Porro restitutio fieri debet in conti-
nenti, nisi res mobilis alibi sit; tum vero iu-
dex facultatem ei concedit adferendi §. 2. *Inst.
de officio iud.* Definitur etiam iudicis arbitrio fru-
ctuum reddendorum quantitas, quantique res
deterior fit facta. Sed possessorem ut æquitati
conuenit fructus reddere: ita non minus ae-
quum est, impensarum ab illo in rem facta-
rum rationem haberi. Ac necessarias quidem
quilibet possessor deducit; vtiles, malæ fidei qui
est, non aliter, quam si res exstet, immo, si
modum nimis excesserint, iudicis erit, litis eui-
tandæ cauſa æquo rem arbitrio moderari. *l. 38
de R. V. l. 7. §. 12. Dig. de adquir, rer. dom.*
Voluptuarias denique tollit, cum sibi imputa-
re

re debeat, quod voluptatis caussa in rem alienam impenderit.

Longe alia conditio est bonæ fidei possessoris. Hic fructus quidem percipiendo suos facit; eosque vel naturaliter potest consumere, vel vendere *l. 48. pr. Dig. de adquir. rev. dom.* Verum de his, quibus factus fit locupletior, quaerimus. Est autem facti res, quatenus quis locupletior factus videatur. Cumque plus sit in veritate, quam in opinione, sequitur omnino, ut nec bona fidei possessor potior debeat esse dominum. Quid ergo? si pretium in bonis possessoris adhuc exstet, si eos in rem suam verterit: non dubito, quin ad eorum restitutionem natura teneatur.

Atque hanc simplicitatem naturae Romani in iudicio vniuersali refinuerunt, possessorem hereditatis, tanquam administratorem, ad rationes reddendas obstrictum censendo. Hereditas enim accessionem fructuum recipit; &, quicquid ex rebus hereditariis cum aliis commutatur, ad hereditatem pertinet. *l. 1. C. de hered. petit.*

Sed

Sed in iudicio singulari ab ista simplicitate videntur recessisse. Possessorem enim in vicem domini prope substituerunt, ut fructus & percipiendo suos faceret, neque eorum usucapione indigeret *l. 4. §. 2. fin. regund. l. 28. pr. de acquir. rer. dom.* vero autem domino superuenienti fructus quidem pendentes & extantes, in horreo v. g. conditos, restitueret, non aequae consumtos, licet illis factus esset locupletior *l. 22. C. de R. V.*

Non pauci interpretes interque eos *Carpz.*
C. 32. d. 28. Struv. ad tit. Dig. de R. V. perperam ex mente Romanorum dicunt, consumtos quoque restitui debere, æquitatem sententiæ pententes e *l. 206. Dig. de reg. iuris*, quia nemo cum alterius detimento fieri debeat locupletior. Nam si pretium consumtorum adhuc in bonis possessoris exstat: nonne eo factus videtur esse locupletior, idemque in rem suam vertitur? Fac Titium rem alienam bona fide possidere, neque dum omnes fructus consumsisse, sed eos ex annonae caritate aliquid lucrandi ergo retinuisse, multoque lucro eas vendidisse, pecuniam autem inde redactam, vel in viuis suos

con-

conuertisse, vel foenori locasse. Quid Romanos
hoc vt statuerent, impulit? satisne caussae ha-
buerunt? Evidem hoc eos recte constituisse
putem. Quam difficilis enim foret calculi inde
a tot annis retro ineundi ratio? Exemplum ad-
feram. Non ipse solum Titius, sed etiam eius
maiores rem aliquam possederunt: sed præscrip-
tione interrupta, quomodo fructus, lite post
multas annos demum finita, erunt computandi?
Deinde humanitatis quoque ratio habenda est,
& Romanis adeo graue visum, a possessore pre-
mium consumtorum restitui, quibus tanquam
re sua abuti potuisset; immo potius, mea qui-
dem sententia, tanquam homo frugi, laudem
ille merebitur. Cur denique dominus in ius
suum non prius incubuit, cum iura vigilanti-
bus sint scripta? Neque possessor rei singularis,
pro administratore haberi potest, cum non pos-
sideat vniuersitatem iuris. Contraria interim
præiudicia apud interpretes pragmaticos repe-
rias, nata procul dubio ex distinctione Accur-
sii in fructus naturales atque industriales.

Ceterum si, vt interdum accidit, actor fru-
ctus non petierit, an iudex illos ex officio adiu-
dicare

dicare possit, quaestio est? Aiunt nonnulli ex l. 25. §. 8. de aedil. edict., nisi fructus ante litis contestationem percepti in specie petantur, iudicem de illis sollicitum non esse debere. At cum locus ille de officio iudicis pedanei sit intelligendus, aliud esse scimus officium magistratus, scilicet supplendi ea, quae desint advocatis partium; itaque fructibus in sententia omisis, quamvis separata illi actione peti non possint l. 3. C. de fruct., ut ille tamen remedium suspensuum adhibetur.



ianos
e ha-
tuisse
inde
ad-
eius
scri-
post
ndi?
est,
pre-
uam
qui-
dem
a ius
anti-
aris,
pos-
erim
epe-
cur-

fru-
diu-
care

VI

DE DOLO CAVSSAM DANTE CONTRACTVI
ET INCIDENTI.

Doli vocabulum, tanquam medium, vel bono sensu accipitur, si quis calliditate alteri prodefesse, vel malo, si eadem studeat nocere. Ab utroque dolo sollertia differt oeconomica, quae in hac communi vita, vbi pretium cuique rei statuimus pro arbitrio, non fraudem, sed acumen indicat negotiandi. Nobis quidem in praesentia de dolo malo duntaxat sermo erit, quem pluribus verbis definit Labeo in l. 1. s. 2. *Dig. de dolo malo*; sed concinnius Vlpianus dolus, inquit, est factum illicitum, quo alterius circumscribendi caussa aliud agitur, aliud agi simulatur. Deinde praemonendum est, nos hic de dolo in contractibus potissimum loqui. Jure igitur naturae fraus et dolus abesse debent a contrahentibus; neque locum habet distinctio, vtrum ad contrahendum inductus sis, an in modo contrahendi

trahendi deceptus. At iurisconsulti Romani, non omnem contractum dolo nullum reddi existimantes dolum caussam dantem contractui distinctionerunt ab incidenti. Quod tam persuasum habeo atque compertum, ut satis mirari non possim, cur Noodtius hanc distinctionem secundum ius ciuale falsam iudicarit. Is enim verba sollicitans *l. 7. pr. Dig. de dolo malo*, omnes, inquit, contractus bonae fidei nulli sunt propter dolum, siue is inciderit, siue negotio caussam dederit. Sed aperte huic sententiae repugnant *pr. l. 7. de dolomalo et l. 12. Dig. de iur. dot.* quin emendatio, quam priori ille loco tentauit, temeraria videtur.

Evidem de re proposita sic teneo. De dolo aut cautum est, aut non. Si prius: siue negotium sit stricti iuris, siue bonae fidei, tenebit de dolo cautio; si posterius: in negotio bonae fidei agitur ex contractu, in stricti iuris restitutione integri opus est. Sed quod diximus, ex contractu bonae fidei de dolo agi posse, an non id cum distinctione accipendum sit videamus. Nam qui ad contrahendum dolo alterius inductus fuerit, ei non modo licet contractum nul-

Iam dicere, sed ex eo quoque, quamuis iniuti-
li, ad id quod interest agere. l. 13. §. 27. de
A. E. V. Contra deceptus in modo contrahen-
di cautius aget saluo contractu ad laesione re-
farsiendam l. 7. §. 3. l. 9. pr. Dig. de *dolo* l. 66.
§. 1. de *contr. emt. vend.* propterea quod et fisci
caussa, et ob metum talionis, priuatorum inter-
est, non temere negotia, quæ contraxerint, im-
pugnare. Jam, vt sententiae nostrae constet ra-
tio, singula, quæ huc faciunt, iuris capita,
age consideremus.

Si quis igitur a procuratore emerit, eo col-
ludente, ait Vlpianus, actionem ex emto esse,
vt aut contractui stetur, aut ab eo discedatur.
Nam et agere possum, vt factum aliquis pro-
curatoris sui vel ratum habeat, vel improbet,
hoc est, vt voluntatem dominus declaret suam.
Porro si quis virginem voluerit emere, cum
mulier veniret, sciente errare eum venditore,
etsi ex hac caussa redhibitio non est, tamen ex
contractu agitur recte ad eum dissoluendum, id
est, vt restituto pretio mulier recipiatur. Quid
hoc aliud est, quam alterius dolo induci ad
contrahendum? Nonne perinde habebitur, ac
si

fiquis virginem emisset, quae scortum esset? vid.
I. 41. Dig. de contrah. emtion. Denique mulier
 dolo inducta res aliquas in dotem dedit: nihil,
 reor, impedit, quo minus de illis agat restitu-
 endis. Jam vt & doli incidentis exemplum af-
 feramus: fac eandem mulierem in modo cuius-
 que rei aestimandae fuisse circumuentam. Sa-
 ne mariti arbitrium erit, vtrum res ipsas, an
 earum iustum aestimationem, praestare malit.
 Repetendum quoque id, quod supra de vendi-
 tione virginis diximus. Nam vtique duplex
 caussa est, prout vel alicuius interfit, virgi-
 nem potius, quam mulierem emere, ita vter-
 ror consensum eius subruat, vel mulier emta
 minoris sit pretii, quam quo virginem ipse em-
 turus fuisse. In vtraque tamen caussa rescindi
 contractus poterit, vt textus iuris haud obscu-
 re indicant, nisi quod in posteriore praestet,
 quanti minoris agere. Cur autem praestat? Ni-
 mirum ob metum talionis, quem imperatores
I. 7. de rescindend. vend. prae se ferunt. Quid
 enim, aiunt, eueniet, si quod quis labore suo
 a fisco comparauerit, id continuo amittat, ea-
 dem scilicet lege conuentus, quam ipse sibi tri-
 bui postulet? Ac profecto rescriptum illud bo-

nam fidem sustinet, quam precipue in rebus
contrahendis, quibus quidem vitae societas
continetur, seruari fas est.



us
tas

He 1738

nc

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Z. 58
ARNOLDI IKEN
ANIMADVERSIONVM
IVRIS CIVILIS
SPECIMEN.



MARBVRGI
M D C C L X X V I I I